

29 JAN 1981 I. N. F.

Dresden

§. I.

**P**ostquam deferere dulcem coactus sum patriam, securamque mansionem in peregrina regione quærere, id primum apud me decrevi, ut quæ sit moderna Ecclesiarum Hungariæ Protestantium facies, una cum propriis, quæ me in eadem manserant fatis, omnibus exigua conspiciendam exhiberem tabella. Facio vero id eo promptius, quo enixius plurimi in Silesia, autoritate, pietate, eruditione religionisque zelo conspicui Viri, id abs me non flagitarunt modo; verum me ad id absque mora occipiendum sinceris suis excitabant adhortationibus. Accedit, quod in tristi mea peregrinatione haut paucos reperi, qui nescio, quantas non Protestantium Hungariæ libertates & felicitatem prædicabant, ut adeo, quæ iisdem abs me de modernis Evangelicorum in Hungaria afflictionibus proponebantur, illa, etsi non aperte negare, dubitare tamen de ipsorum veritate haut obscure videbantur, ad publicas relationes provocantes, merita item Protestantium Hungariæ erga Augustissimam Domum Austriacam felicitate tum in superiore ta servitia mihi opponentes.